

malitiosa templi, vel altaris, occisio hominis, injuriosa effusio sanguinis, vel seminis humani, illicita, & notoria sepultura excommunicati, vel non baptizati in loco sacro. Item sacrilegium locale committitur per violentam extractionem reorum è loco sacro, per actus prophanos, & illicitos & repugnantes immunitati ecclesiastica exercitis in locis sacris, ut sunt negotiationes, seditiones, illiciti concubitus, & spurtilites, concilia secularia, stabulationes eorum, incendia, effractiones, spoliationes, mercaturæ, & hujusmodi. Item sacrilegium locale committitur per fartum, quod sacrilegium evadit tribus modis. Primo nempe cum quis furatur *sacrum de sacro*, id est, rem sacram, ut calicem, planetam, pyxidem, & hujusmodi, in loco sacro. Secundo cum quis furatur *non sacrum de sacro*, id est, rem prophanam non sacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco sacro repositam. Tertio cum quis furatur *sacrum de non sacro*, id est, rem sacram, ut pyxidem, calicem, & hujusmodi, in loco non sacro, scilicet extra Ecclesiam, textu expresso in c. Quisquis 21. *caus. 13. tract. 4.* ubi ex verbis Summi Pontificis Joannis VIII. sic præcisè habetur: Similiter sacrilegium committitur auferendo *sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.*

8 Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas, seu levitas materiæ, aut inadvertentia, & delibentera voluntas; Communis. Et quoad primam partem clare patet, quia sacrilegium ex genere suo opponitur graviter excellentissimæ virtuti Religionis; Unde nemo dubitat esse peccatum mortale, cum sacrilegium fit in gravem contemptum personæ, seu rei, aut loci sacri. Quoad secundam etiam partem clare constat, quia sicut parvitas, & levitas materiæ, aut inadvertentia, & delibentera voluntas excusat à mortali in aliis actionibus peccaminosis, ita etiam in actionibus sacrilegis; unde apud omnes certum est, sacrilegium esse solum peccatum veniale, cum secluso contemptu, aut scandalo, fit aliqua levis injuria, irreverentia, aut inhonoratio personæ, seu rei, aut loci sacri, & hoc propter parvitatem materiæ, seu irreverentiæ, & injuriæ commissæ; sicuti pariter omnes concedunt, esse solum peccatum veniale, & quandoque nullum, si injuria, & irreverentia facta personæ, rei, aut loco sacro, sit ex inadvertentia, in deliberatione, aut ignorantia invincibili.

9 Alia ad rem. Vide verb. Eccles. art. 4. & verb. Luxuria à num. 29. ad 32.

10 ¶ Si violenter per peccatum carnis persona specialiter consecrata Deo, habet peccatum hoc rationem sacrilegii, in quantum est violatio rei sacræ, scilicet specialiter consecrata Deo.

11 Hujusmodi est fornicatio cum Moniali, quæ jure etiam civili, ut gravissimum delictum, pena mortis punitur. Hujusmodi quoque est fornicatio commissa ab eo, qui Ordine sacro sit initiatus, quæ jure antiquorum canonum puniebatur pena perpetuæ depositionis ab omni ministerio Ecclesie. Quomodo vero hodie puniatur, petendum ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 14. de Reformat. & alibi etiam dictum à nobis est.

16 Illud vero hic non omittendum, adhuc hodie deponendum Sacerdotem cognoscentem filiam suam spirituales, vel eam, quæ propter poenitentiam effecta filia filia spiritualis, vel parochianam suam, ut probe monuit Zipæus in *jure novo de cohabit. Cleric. num. 10.* ubi quod idem procedat in Religiosis fornicantibus. Ratio est, quod poena inflicta à Concilio Tridentino locum haud habeat quoad fornicationem Clerici adjuvandam habentem aliquam circumstantiam aggravantem. ¶

(Si bene perlegantur *proamium, & leg. 1. a. & 3. tit. 18. part. 1.* cum præcedentibus fere consonant: ceteras recognosce, & adnotabis, in quarta quibus poenis ecclesiastico in foro perpetratores hujusmodi puniendos esse: (Vide verb. Excommunicatio) in quinta referuntur casus propter quos præterea in bona procedi valet: in sexta in eos, tamquam sacrilegos, qui feminam religiosam vi de monasterio libidinis causa

eduxerint, aut cum ea sponte, seu violenter se commisceant: si è monasterio voluntarie egrediantur, inquirenda, & eidem restituenda, imploranda, si opus fuerit, brachium seculare: eidem debet restitui, si culpa ex parte monasterii abfuerit, eo quia, si adest culpa, propterea quod clausura non bene custodiatur, ad aliud transferenda, cum redditibus, & patrimonio in dotem conlatis usque quæ in eo perseveraverit, nam ad vitam ejus eidem profuerit; in septima pecuniaria poena signatur (Vide verb. Multa) quacum plefendi laici, Presbyterum, Diaconum, Subdiaconum, Religiosum, aut Religiosam, vel Episcopum occidentes; (Vide verb. Homicidium) in octava in Ecclesiæ patronum decernitur, aut eum, ab ea aliqua jura percipientem, si per se, aut alium, Clericum ecclesiæ mutilaverit ejusdem; in nona proponuntur sacrilegia, punitionem in bonis, aut corpore, sive in utroque admittentia; in decima animadversiones notantur in immunitatem ecclesiasticam frangentes; in undecima de rebus agitur, sacrilegii similitudinem habentibus, inter eas, quæ refert, committitur sacrilegium assertit, Summi Pontificis determinationibus, aut secularis Principis haud ignorantem maledicentem; in duodecima statuuntur quæ à iudice in hoc crimine (Vide verb. Acceptorum personarum) ad poenam impositionem consideranda. Vide etiam verb. Forum, vers. De raptoribus: verb. Fur, vers. Sacrilegii: & verb. Immunitas, per tot. ita ut, si omnia in eisdem verb. inserta bene conferas, & dictas part. leges fuerit attente meditata, tibi non celebratur discrimen inter utrumque; conducunt quoque verb. Judex, ante, & nunc in omnibus novissime præventa; semper præ oculis est habendum (ni fallor) iudices seculares in laicos, hæc, similia, aliave crimina perpetrantes, cognitionem assumere; experientia quotidie demonstrat laicos, res sacras, calices videlicet, lampades, &c. (usque ad eos extenditur iurisdicção qui vas ubi Sacratissimum Corpus Domini nostri Jesu Christi servatur, furati fuerint) violantes, sive in sacris constitutis necantes, per regios iudices capite damnari; ideo, dum incepti, legum decisiones proponere, dixi, *ecclesiastico in foro*, per consequens hæc verba non ex eo fuerunt addita, quia regia iurisdicção aditum non haberet, sed quia, licet ecclesiastica sum (si eidem aliqua cognitio inest) sortitur effectum, in determinatis regiæ non denegatur; vide addit. *noviss. lit. A, pag. 140. column. 2.*)

SACRISTA, SACRISTIA.

SUMMARIUM.

- 1 SACRISTIA Officium quoddam sit.
- 2 Sacristia capella palatii Apostolici debet esse aliquis ex fratribus Eremitarum S. Augustini.
- 3 Sacristia Conclavis gaudet gratis, & privilegiis Conclavistarum.
- 4 Sacristia, seu Prefecti Ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permitendum in eis celebrationem Sacerdotum secularium, nisi exhibita Ordinarii licentia.
- 5 Sacristia munus per simplices Sacerdotes exerceri solitum, non cogitur suscipere Cantor, qui sit una ex Dignitatibus Ecclesie.
- 6 Sacristia nihil exigere debent pro benedictione sponsi, & sponsæ.
- 7 Sacristianum obtinens cum obligatione intervendi in divinis Officiis potest deservire per substitutum.
- 8 Sacristia in ecclesia cathedrali est Dignitas, & requirit Sacerdotium.
- 9 Interveniens horis pulsandi Capitulo ecclesie cathedralis, Curatus, & Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parochio defuncti.
- 10 Determinatis horis pulsandi ad divina officia, & pulsata campana per Sacristam, divina officia differri non

non valent ad alicujus instantiam, & Hebdomadario absente, Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat.

11 Quod prescribitur in Cæroniali, ut Canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus.

12 Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus anni frigidioribus recitent diebus feriabilibus Matutinum in sacristia.

13 Non potest Episcopus in aliquo casu adstringere Canonicos, ut domi suæ Capitulum convocent, si fuerit solitum ut fiat in sacristia.

14 Sedes Archiepiscopalis esse proprio Archiepiscopi, non ex sacristia sacris vestibus est ornanda.

15 Episcopus non potest qui sacristia vasis argenteis, vel alia suppellectili in sua mensa, vel ad alios usus profanos.

16 Solium Archiepiscopale ferri, & manuteneri debet sumptibus Archiepiscopi, & non sumptibus Sacristie Metropolitanæ.

17 Non potest Episcopus compellere Regulares ad exhibendos libros Sacristie, in quibus adnotantur celebrationes Missarum.

18 Sacristia contigua choro alicujus monasterii Religiosorum est sub clausura comprehensa.

19 Sacristie expensæ spectant ad Episcopum, non autem ad Capitulum.

20 Sacristia officium pertinet custodia sacrorum vasorum, Vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, & eorum quæ ad luminaria pertinent, sive in cera, sive in oleo; textu expresso in cap. Ut sciat unico, de officio Sacristie.

21 Sacristæ capellæ palatii Apostolici officium ab immemoriali tempore alicui ex fratribus Eremitarum S. Augustini committi consuevit, & deinceps committi debere concedit, commissionesque aliter factas irritat Alexander VI. const. 5. incip. Ad Sacram.

22 Sacrista Conclavis gaudet gratis, & privilegiis Conclavistarum; Clemens VIII. const. 16. §. 14.

23 Sacristæ, seu Prefecti ecclesiarum Regularium adstringi possunt ad non permitendum in eis celebrationes sacerdotum secularium, nisi exhibita Ordinarii licentia; Sac. Congregat. Concil. in Neapolitana 18. Augusti 1630.

24 Sacristæ munus per simplices Sacerdotes ecclesie exerceri solitum, non cogitur suscipere Cantor, qui sit una ex Dignitatibus ecclesie; Sac. Rit. Congreg. in Adrien. 2. Martii 1628.

25 Sacristæ nihil exigere debent pro benedictione sponsi, & sponsæ; Sac. Congr. Rit. in Nerison. 25. Februarii 1606.

26 Sacristianum obtinens in parochiali erectum cum unione simplicis beneficii pro uno Clerico, qui in divinis officiis, & cura exercenda, ac aliis oneribus adjuvare teneatur, potest deservire per substitutum, & fractus eidem debentur; Sac. Congr. Concil. in Spoletana 21. Julii 1629.

27 Sacrista in ecclesia cathedrali est Dignitas, & requirit Sacerdotium; Sacra Rota recent. part. 44. decis. 160. num. 8.

28 Si intervenerit Funeribus Capitulum ecclesie cathedralis in hoc casu Curatus, & Sacrista illius cathedralis, licet sint amovibiles, debent præcedere parochio defuncti; Sac. Rit. Cong. 22. Martii 1631.

29 Determinatis horis pulsandi Matutinum, & alias horas canonicas, & pulsata campana per Sacristam, aut ejus deputatum, ac in ecclesia acensis luminibus, divina officia differri non valent ad alicujus instantiam, & Hebdomadario absente, Archidiaconus jubere debet alteri, ut incipiat; Sac. Congr. Episcop. in Theatina 18. Aprilis 1617.

30 Quod prescribitur in Cæroniali, ut Canonici de sacristia egrediantur bini, intelligitur in solemnitatibus. Sac. Congr. Rit. 12. Julii 1626.

31 Tolerandum est, quod Canonici tribus mensibus

anni frigidioribus recitent diebus feriabilibus matutinum in sacristia. Sac. Congr. Episc. in una S. Severini 13. Septembris 1641.

32 Non potest Episcopus in aliquo casu adstringere Canonicos, ut domi suæ Capitulum convocent, si fuerit solitum ut fiat in Sacristia. Sacra Congr. Episcop. 1. Februarii 1483.

33 Sedes Archiepiscopalis esse proprio Archiepiscopi, non ex sacristia sacris vestibus est ornanda. Sac. Congr. Conc. in Messanens. 4. Septembris 1586.

34 Episcopus vasis argenteis, vel alia sacristie suppellectili non utatur in mensa, vel in alios profanos usus, immo nec ad Sacros extra cathedralem, sed ea ibi pro ecclesie servitio relinquat. Sac. Congr. Episc. in Tullen. 10. Martii 1397. & in Castellanen. 16. Maji 1642.

35 Cum solium Archiepiscopale pertinet ad officium Archiepiscopi, sequitur, id suis sumptibus fieri, ac manuteneri debere, & non sumptibus Sacristie Metropolitanæ. Sac. Congregat. Concil. in Urbinaten. 18. Martii 1663.

36 Non potest Episcopus, nisi habeat privilegium speciale, compellere Regulares ad exhibendos libros sacristie, in quibus adnotantur celebrationes missarum, ad hoc ut ex iis constare possit de satisfactione obligationis debite ex legato pio. Sacra Congregatio Concilii in Urbinat. ad cap. 7. sess. 22. de reformat. 10. Maji 1663.

37 Sacristia contigua choro alicujus monasterii Religiosorum est sub clausura comprehensa. Sac. Congreg. Episcop. & Regul. in Sulmonens. 10. Aug. 1614. Vide verb. Conventus, art. 3. num. 14.

38 Sacristie expensæ spectant ad Episcopum, non autem ad Capitulum; Sac. Congr. Episcop. in Neapolitana 4. April. 1704. apud Ursam tom. 3. part. 1. decis. 34.

39 Ex quo ecclesie cathedrales abundare ceperunt thesauro magni pretii, constituti sunt Sacristæ, qui habeant custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, seu totius thesauri ecclesiastici, nec non eorum, quæ ad luminaria pertinent, cap. unic. de officio Sacristie. Dicitur propterea & Thesaurarii sunt.

40 Primitivum officium simplex sine dignitate ecclesiastica gerebant, progressu vero temporis in pluribus cathedralibus ecclesiis honore dignitatis decorati sunt. Confer Corvin. de person. & beneficio. eccles. lib. 1. tit. 22. numer. 3. (Vid. lib. B. pag. 303. column. 2. num. 53. lit. C. pag. 16. col. 1. in nov. vers. Insuper: & pag. 22. col. 2. etiam in nov.)

41 De culpa, quam præstare debent Sacristæ circa custodiam thesauri ecclesiastici, non inutilis hic discussio est. Levissimam culpam ab iis exigit Brunckerus de custod. templor. artic. 3. §. 12. & jure quidem meritoque. Præficiuntur enim ejusmodi negotiis, quæ non vulgarem, sed penitentiorem curam & sollicitudinem singularem desiderant. Quapropter natura ipsa negotiorum ipsos obligat ad exactissimam diligentiam, Reque ipsa Romani quoque Jurisconsulti in hujusmodi questionibus decidendis, potissimum respexere ad naturam negotiorum, & ex gravitate & indole eorum æstimarunt, qualis industria ab Administratore desideretur. Confer Jacobum Gothofredum in commentar. ad leg. 23. ff. de Regul. juris. ¶

SALUTATIO ANGELICA.

*** NOTANDUM, quod in salutatione Angelica additionem illam Sancta Maria, &c. in nulla precum formula ante annum MDVIII. reperiri, inquit Grancolas in Breviario Romanum capit. XXV. Sed tunc temporis usurpari cepisse, Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus. Amen. Fratresque Minores addidisse postea verba illa: nunc, & in hora mortis nostræ; ut legitur in eorum Breviario edito anno MDXV. Sic ad literam eruditissimus D. Joseph

seph Catalanus in Pontif. Rom. tom. 2. tit. XV. §. 2. numer. 2. ***

SAMARITANA A CHRISTO CONVERSA.

** SAMARITANA, quae Christum ad puteum Jacob Patriarchae excepit, & ibi à Christo ipsa conversa fuit, Photina communiter nuncupatur, & ab Ecclesia sub tali nomine, ut vera Martyr, una cum duobus filiis suis, & aliis martyribus colitur die 20. Martii, ut canit martyrologium Romanum his verbis: Eodem die Sanctorum Photinae Samaritanæ, Josephi & Victoris filiorum, itemque Sebastiani Ducis, Anarolij, Phutis, Photidis, Paraseves, & Tyriacæ germanorum, qui omnes Christum confessi martyrium suum sunt assecuti. De hac Samaritana Photina traditur, quod post Christi Ascensionem à Deo inspirata una cum duobus filiis suis, & quinque suis germanis consobrinis Carthaginem petierit, ibique omnes fidei Christianorum prædicantes, plurimosque gentiles, inter quos celeberrimum Ducentum Sebastianum convertentes, ob id fuerint omnes ad crudelissimum martyrium condemnati. Vide omne acerbissimi martyrii genus apud Bollandistas ad diem 20. Martii, & apud Clericum nelle epighe, verb. Samaritana, à num. 821. ad 823. Ubi vero adseruntur eorum reliquæ, vide Bolland. loc. cit. num. 8. Plura alia ad rem de Samaritana Photina, vide apud Calmet in dictionario verb. Photina, & verb. Samaritana.

SANCTITAS, SANCTI.

* SANCTITAS non in una, vel altera virtutum specie, sed in complexu omnium in gradu heroico usque ad obitum exercitaram, consistit. Benedict. XIV. constituit. 54. incip. Postquam intelleximus, §. 26. Sanctitati aliquin probatae non officunt errores circa dogmata nondum ab Ecclesia definita. Idem ibidem §. 31.

Sancti vocabulum in primæva Ecclesia, nec vitæ sanctitatem, nec martyrium pro Christi nomine toleratum, indicabat, sed christianæ religionis, quæ cuique fidelium communis erat, integritatem declarabat: Qui olim christiani (inquit Spondanus in Epit. Annal. Baron.) iidem nominabantur sancti. Hinc unus Sancti titulus par non est, ut corpora, quæ ex Catacumbis afferuntur, sacro cultu donentur. Deinde dignitatis ecclesiasticæ titulus fuit. Successu vero temporis Sancti titulus ad peculiarem vitæ sanctimoniam significandam translatus est: Demum obtinuit usus (Spond. loc. cit.) ut illi tantummodo Sancti in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatorique fulgerent morum sanctitudinem. Idem ibid. §. 32.

Sanctorum nomina, & eglia in martyrologium inferri nequeunt, sine auctoritate Congregationis Sacrorum Rituum. Idem ibid. §. 3.

Sanctorum nomina in Martyrologio inferenda non sunt, nisi publicus cultus ipsis per solemnem canonizationem decretus, aut saltem ab antiquis temporibus universalis ecclesiæ consensione præstitus fuerit. Idem ibid. §. 15. & 16.

Sanctorum nomina, quæ in novissima martyrologii Romani editione Benedicti XIV. jussu inserta fuerunt, enumerantur ab eodem ibid. §. 6. 7. 8. & 9. nempe sub §. 6. sic: Sextadecima die Februarii Beatus Gregorius X. Die vigesima septima Aprilis Beata Zita. Die decima Maji Beatus Nicolaus Albergatus. Die vigesima quarta Maji Beatus Joannes de Prado. Prima die Junii 9 Sanctus Eneco Abbas. Die septima Julii Beatus Benedictus XI. Die vigesima Decembris Sanctus Dominicus de Sylor. Et sub §. 7. traditur ratione, ob quam possint in martyrologio inseri etiam nomina aliquorum Beatorum, & adducto ex Theophilo Raynardo tom. 18. tuo-

ram operum, pag. 500. quod Nomen quoque martyrologii, quod olim sonabat dumtaxat Indiculum SS. Martyrum, nunc extensum est ad syllabum plurimorum aliorum Sanctorum Confessorum, ac Sanctarum Virginitum, pergit sub §. 8. enumerare aliquos Beatos Martyres martyrologio de novo additos, videlicet die quinta Februarii Commemoratio virginis sex Martyrum Japonensium. Die nona Julii Commemoratio novendecim Martyrum Korkoniensium. Die decimaseptima Septembris Beati Petri de Arbuz. Die duodecima Novembris Commemoratio Beati Josaphat Polocensis. Et tandem sub §. 9. addit nomina aliorum Sanctorum in præteritis editionibus omissorum. Nempe die decima Januarii nomen Sancti Wilhelmi Episcopi Bituricensis. Die decimanoa Januarii nomen Sancti Wistani Episcopi Vigornensis. Die quarta Februarii nomen Sancti Josephi à Leonissa. Die decimatercia Februarii nomen Sanctæ Catherine de Riccis. Die decimaseptima Aprilis nomen Sancti Roberti Abbatis Cursæ Dei. Die quarta Maji nomen Sancti Godehardi Episcopi Hildesheimensis. Die decimatercia Maji nomen Sancti Petri Regalati. Die secunda Junii nomen Sancti Nicolai Peregrini Transensis. Die octava Junii nomen Sancti Wilhelmi Archiepiscopi Eboracensis. Die sextadecima Junii nomen Sancti Joannis Francisci Regis. Die prima Junii nomen Sancti Teobaldi Eremitæ. Die quartadecima Julii nomen Sancti Camilli de Lellis. Die vigesima quarta Julii nomen Sancti Francisci Solani. Die decima quinta Augusti nomen Sancti Stanislai Kostka. Die vigesima sexta Octobris nomen Sancti Bernardi Hildesheimensis Episcopi. Die vigesima septima Novembris nomen Sancti Virgiliti Episcopi Salisburgensis. Die vigesima octava Novembris nomen Sancti Jacobi Picensis. Die decimaseptima Decembris nomen Sancti Sturmii Abbatis Faldensis. Idem in citat. constituit. incip. Postquam intelleximus: in qua plurima ad rem traduntur scitu dignissima.

Sanctorum Patrum unanimes consensus in explicatione sacrae scripturæ, & in re pertinente ad fidem, & bonos mores, est infallibile testimonium divinæ revelationis, ad differentiam unius, vel alterius, aut aliquorum, reliquis contradicentibus. Idem de Sero-rum Dei beatificat. & Beatorum canonizatione lib. 2. cap. 33. sub num. 12. (Quis canonizationem Sanctorum efficiat, vide lit. P, pag. 24. col. 2. in nov. cum leg. 6. tit. 28. p. 7.)

SAPIENS ERROREM PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatae, num. 34.

SAPIENS HERESIM PROPOSITIO.

Vide verb. Propositiones damnatae, num. 23.

SAPIENTIA. Vide verb. Theologia, num. 15.

SATISFACTIO, SIVE PENITENTIA SACRAMENTALIS.

Vide verb. Penitentia sacramentum, art. 3. per tot.

SCANDALUM.

SUMMARIUM.

- 1 Scandalum quid importet, & sit physicè.
2 Item quid sit moraliter.
3 Explicatur definitio scandalii per singulas ejus particulares.
4 Scandalum dividitur in activum, seu datum, & in pas-

- passivum, seu acceptum.
5 Scandalum activum quid sit.
6 Scandalum passivum quid sit.
7 Scandalum activum est duplex, directum, & indirectum.
8 Scandalum activum directum quid sit.
9 Scandalum activum indirectum quid sit.
10 Scandalum passivum item est duplex, scilicet datum, & acceptum.
11 Scandalum passivum datum quid sit.
12 Scandalum passivum acceptum quid sit.
13 Scandalum passivum acceptum subdividitur in scandalum pusillorum, & in scandalum Pharisæicum, & quid sit utrumque.
14 Scandalum activum sive directum, sive indirectum, est peccatum mortale, vel etiam veniale pro ratione peccati gravis, vel levis, ad quod inducit.
15 Scandalum activum, nedum directum, sed etiam indirectum, contrahit malitiam specie distinctam contra charitatem in confessione expiandum.
16 Scandalum mere passivum est evitandum, seu impediendum, quotiescumque nulla ratio necessitatis, vel utilitatis proprie, vel aliena cogit nos dicere, vel facere, aut omittere aliquid, ex quo prævidemus proximum esse scandalizandum.
17 Non est tamen obligatio impediendi scandalum mere passivum, quoties urget necessitas, aut utilitas propria dicendi, vel faciendi, aut omittendi aliquid ceteroquin non malum, quamvis exinde alii sumpturi sint occasionem peccandi.
18 Ob evitandum præcise scandalum aliorum probabilis omittenda non sunt opera præcepti, sive naturalis, sive divini, sive humani.
19 Hinc quamvis multi velint feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspiciat, posse, & debere sacro abstinere die festo semel, atque iterum ad peccatum illud evitandum: Alii tamen universaliter sustinent, quod ob evitandum præcise scandalum non sit omittenda ulla opera præcepta.
20 Opera tantum consilii omittenda sunt, vel ad aliquod tempus differenda ob evitandum scandalum pusillum inde securum.
21 Nullum tamen omittenda sunt opera consilii ob evitandum scandalum Pharisæicum.
22 Ob evitandum scandalum pusillorum, & à fortiori Pharisæicum, raro, vel nunquam adest obligatio subeundi gravem, & magnam jacturam in propriis bonis temporalibus.
23 Adest tamen obligatio subeundi leve, & modicum damnum in propriis bonis temporalibus ob evitandum scandalum pusillum.
24 Potest esse scandalum activum sine passivo; & contra passivum sine activo.
25 Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquitur.

SCANDALUM proprie, & physice importat, & significat, seu declarat aliquid in via positum, in quod ambulans impingat, & corruat. Et idem etiam est offendiculum. Sic Joannes Kahl, aliàs Calvinus in suo magno Lexico, verb. Scandalum. Unde scandalum physice est offendiculum in via præbens itinerantibus occasionem lapsus. Sic in re Communis.
2 Moraliter autem scandalum est offendiculum spirituale, quo quis offendit, & in peccatum ruit. Seu expressius, & clarius: scandalum est dictum, vel factum, seu omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinae spiritualis, seu peccandi. Sic in re Communis.
3 Dicitur primo, quod scandalum sit dictum vel factum, quia solum loquendo, vel agendo, possumus esse proximo occasio ruinae spiritualis, non autem cogitando, ut de se patet, cum cogitatio tanquam mere interna, & occulta in corde non possit extrinsece proximum scandalizare, & ideo in definitione scandalii non additur vel conceptum, sicuti in definitione peccati. Dicitur secundo vel omissum, per quod intelligitur om-

FERRARI, BIBLIOT. TOR. VIII.

nis omissio externa, seu non dictum, non factum potens proximum scandalizare, ut omissio sacri, horarum, non dicta veritas, non facta debita defensio innocentis, & hujusmodi. Dicitur tertio minus rectum, hoc est, aut per se malum, aut speciem mali habens, quia non solum dictum, vel factum, seu omissum per se, & ex natura sua malum, & peccaminosum, sed etiam dictum, vel factum, seu omissum habens tantum speciem mali ex circumstantiis personæ, loci, & temporis, potest habere rationem scandalii, si proximo occasionem peccandi præbitura sit. Dicitur quarto Præbens alteri occasionem ruinae spiritualis, seu peccandi, ad denotandum, quod occasio debet esse vera, sive interim scandalizans intendat expresse ruinam spiritualem proximi, quod est diabolicum, sive tantum interpretative dicendo, vel faciendo, aut omitiendo id, ex quo prævidet, aut prævidere debet proximum forte lapsurum.

Scandalum dividitur in activum, seu datum, & in passivum, seu acceptum: Sic Doctores communiter. Scandalum activum, seu datum est illud proxime definitum per singula verba mox explicata, nempe scandalum activum est dictum, vel factum, seu omissum minus rectum præbens alteri occasionem ruinae spiritualis, seu peccandi. Est in re Communis.

Scandalum passivum est ipsa ruina spiritualis proximi in peccatum contingens ratione dicti, vel facti, seu omitti alterius minus recti; Est in re Communis. Et sic hoc scandalum passivum opponitur scandalo activo tanquam causæ suus effectus.

Scandalum activum est duplex, scilicet unum directum, vel proprium, seu per se inductivum; & aliud indirectum, vel improprium, seu per accidens inductivum, aut occasionalitè tantum. Sic Doctores communiter.

Scandalum activum directum, vel proprium, seu per se inductivum est, cum quis directe, & expressa intentione dat alteri occasionem peccandi suadendo, confidendo, inducendo, vel malo exemplo faciendū aliquid, quod per se est inductivum ad peccatum, & sic intendendo ruinam spiritualem proximi, sive formaliter ob damnum spirituale proximi, quod est diabolicum, sive materialiter ob propriam delectationem, vel utilitatem, quod est humanum, & proprium hominis, ut si quis verba obscena proferat, vel turpia, & lasciva peragat coram muliere, ut ipsam ad secum carnaliter peccandum inducat; ipse enim gravissime peccat peccato scandalii, licet formaliter non intendat ruinam spiritualem talis mulieris, sed solum suam carnalem delectationem. Communis.

Scandalum activum indirectum, vel improprium, seu per accidens inductivum, aut occasionalitè tantum, est, cum quis dicit, vel facit, seu omittit dicere, vel facere aliquid, quod licet ex natura sua, & per se non sit malum, speciem tamen mali præfert, ex quo ipse prævidet, vel prævidere debet alios scandalizandos, vel de facto scandalizari advertit. Ut si quis feminam populo suspectam domi suæ retineat, is peccat peccato scandalii, teneturque ad ipsum publicum scandalum removendum, talem feminam è domo sua dimittere, quamvis revera nullum subit peccatum, nec periculum peccati. Unde Apostolus 1. ad Thesalonicenses capit. 5. num. 22. expresse dicit: Ab omni specie mala abstinete vos. Et 1. ad Corinth. cap. 8. num. 9. & seq. eos severe monebat, ne recumberent in Idolo, id est, in loco, ubi carnes Idolis immolatae comederantur, quod licet per se non esset malum, tamen habebat speciem mali ad scandalum pusillorum, seu infirmorum, ibi Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis, si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in Idolo recubentem, nonne conscientia ejus, cum sis infirmus, edificabitur ad manducandum Idolothitum? Et peribit infirmus in sua scientia frater, propter quem Christus mortuus est. Et infra num. 13. concludit: Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalicem.

Scandalum passivum est duplex, scilicet scandalum passivum datum, & scandalum passivum acceptum; seu cla-

clarior: Scandalum passivum datum simul, & acceptum, & scandalum passivum non datum, sed duntaxat acceptum. *Sic in re Doctores communiter.*

11 Scandalum passivum datum simul & acceptum est illud, quod vere oritur ex alterius dicto, vel facto, seu omisso, ex natura sua, & per se, quia revera malum est, vel speciem mali habet, ut merito inde proximus sumat occasionem ruinae spiritualis. *Sic in re communis.*

12 Scandalum passivum non datum, sed duntaxat acceptum, subdividitur in scandalum pusillorum, quod ex sola hominis ignorantia, vel infirmitate, seu fragilitate provenit, & in scandalum Pharisaeorum, quod ex mera malitia, seu malignitate alterius procedit. Et tunc dicitur scandalum Pharisaeum à Pharisaeis, qui propria malitia, malignitate, & invidia erga Christum male, in dicam pessime interpretando clarissima ejus miracula, optimam ejus doctrinam, sanctissimamque conversationem, scandalizati sunt. *Communis.*

14 Scandalum activum, sive directum, sive indirectum est peccatum mortale, vel etiam veniale pro ratione peccati gravis vel levis, ad quod inducit. *Communis, & certa.* Unde non indiget probatione.

15 Scandalum activum, nedum directum, sed etiam indirectum, contrahit malitiam specie distinctam contra charitatem in confessione explicandam. *Communissimum* quoad primam partem, & *Communior* quoad secundam. Et ratio primae partis est, quia si peccat contra charitatem proximi saluti debiam, qui non corripit errantem, à fortiori qui inducit ad errorem; Unde certum est apud omnes, scandalum activum directum, quod directe intenditur ruina spiritualis proximi, esse peccatum speciale contra charitatem proximi gravissimum, ideoque specialiter explicandum in confessione una cum specie peccati, & circumstantiis personae inducendae ad ipsum peccatum. Ratio autem secundae partis est, quia in omni peccato damnifico commisso in proximum sufficit voluntas interpretativa, seu voluntarium indirectum, ponendo scilicet voluntarie causam, ex qua praevidetur sequitur damnum proximi, quamvis directe non intendatur; ergo etiam ad speciale peccatum scandali contra charitatem sufficit voluntas interpretativa, seu voluntarium indirectum, nempe dicere, vel facere, seu omittere aliquid, ex quo praevidetur sequitur ruina spiritualis proximi, quamvis ea directe non intendatur; tum quia ex praecipuo charitatis tenemur non solum ad non procurandam ex propria industria ruina spirituales proximi, sed etiam ad nos abstinendum à causa injusta, ut proximus spiritualiter ruat, adeoque etiam in scandalo activo indirecto tenemur explicare speciem peccati, ad quam proximum ratione talis scandali inducimus.

16 Scandalum mere passivum est evitandum, seu impediendum, quotiescumque nulla ratio necessitatis, vel utilitatis propriae, vel alienae cogit nos dicere, vel facere, aut omittere aliquid, ex quo praevidemus proximum esse scandalizandum, seu sumpturum occasionem peccandi. *Communis.* Et ratio est, quia lex charitatis nos obligat impedire, cum facile possumus sine nostro, aut alieno incommodo, etiam damna temporalia proximi, & sic à fortiori ejus damna spiritualia, seu peccata.

17 Non est tamen obligatio impediendi scandalum mere passivum, quoties urget necessitas, vel utilitas propriae dicendi, vel faciendi, aut omittendi aliquid ceteroquin non malum, quamvis exinde alii sumpturi sint occasionem peccandi; *Communis.* Et ratio est, quia tunc non sumus nos causa, quod proximus peccet, cum necessitas, vel utilitas propria nos urgeat ad id licite dicendum, vel faciendum, aut omittendum; unde si exinde proximus peccet, peccatum debet ejus ma-

litiae imputari, aliis non possemus unquam quidquam nobis necessarium, aut utile, ceteroquin non malum, licite dicere, vel facere, aut omittere ob evitandum tale proximi scandalum, quod nemo audebit asserere.

Ob evitandum praecise scandalum aliorum probabilius omissenda non sunt operae praecipuae, sive naturalis, sive divinae, sive humanae. *Sic Sanctus Thomas 2. 2. quast. 45. art. 7. Castropal. tom. 1. tract. 6. disp. 6. punct. 16. num. 3. Pasqualig. de sacrificio. quast. 1347. Henno tom. 1. tract. 2. de virtutibus, disp. 6. art. 3. conclus. 3. Illung. tract. 3. numer. 111. Felix Potestas tom. 1. part. 2. cap. 2. num. 338. & Communior aliorum.* Et ratio est, quia ordine charitatis salus propria praefertenda est saluti proximi; unde quisquis curare debet, ut prius ipse praeccepta impleat, quam ut curet, quod impleat alter, cum obligatio servandi praeccepta sit primaria, & obligatio vitandi scandalum sit secundaria; Et certe nisi ostendatur praecceptum tunc non obligare, clarum est, non posse omitti ob evitandum praecise scandalum aliorum, ut habetur ex cap. Cum ex injuncto 2. de novi operis nuntiatione: ibi: *Quae sine mortali peccato omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo omissenda.*

Hinc quamvis multi velint feminam scientem aliquem in particulari se turpiter amare, quoties eam aspiciat, posse, & debere sacro abstinere die festo semel atque iterum ad peccatum illud evitandum; Alii tamen universaliter sustinent, quod ubi evitandum praecise scandalum non sint omissenda ulla opera praeccepta. *Vide verb. Femina, à num. 14. ad num. 26. ubi multa ad rem.*

Opera tantum consilii omissenda sunt, vel ad aliquod tempus differenda, ob evitandum scandalum pusillorum ex ignorantia, vel infirmitate seu fragilitate inde securum. *S. Thomas loc. cit. Castropal. loc. cit. Henno loc. cit. Felix Potestas loc. cit. num. 343. Diana part. 5. tract. 7. resp. 23. Sporer tom. 2. tract. 5. cap. 1. sect. 2. num. 31. ubi testatur de communi.* Sic spontanea peregrinatio ad aliquod Sanctuarium, ingressus voluntarius in Religionem, & hujusmodi, sunt omissenda, vel ad aliquod tempus differenda, donec pusilli, qui inde ex ignorantia, vel infirmitate, seu fragilitate scandalizarentur, admoniti, & informati de justis motivis, & rationibus pro tali peregrinatione, & ingressu in Religionem, & hujusmodi, non amplius scandalizentur.

Nullimode autem omissenda sunt opera consilii ob evitandum scandalum Pharisaeum. *Communis.* Et ratio est, quia scandalum Pharisaeum oritur ex mera malitia, & pravo affectu illorum, qui se scandalizant, cum ipsi non sint in necessitate, sed mera, & libera malitia; unde de ipso Pharisaeo scandalo non est curandum, nec ullum opus bonum est omissendum ob ipsum vitandum: Non enim tenemur aliorum malitiae condescendere cum tali damno nostro spirituali: Unde de istis Christus Dominus Matthaei 1. dicit: *sinite illos, ceci sunt, & duces caecorum.* *(Concordat lex 53. tit. 5. part. 1.)*

Ob evitandum scandalum pusillorum, & à fortiori 22 Pharisaeum raro, vel nunquam adest obligatio subeundi gravem, & magnam jacturam in propriis bonis temporalibus. *Castropal. loc. cit. part. 17. Sporer loc. cit. num. 31. Diana loc. cit. Suarez, & alii; Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 7. num. 11. La Croix lib. 2. numer. 246. & alii.* Et ratio est, quia quando inde oritur magnum, & grave damnum, est veluti moralis impotentia vitandi talem occasionem, & tunc adest sufficiens causa eam permittendi ponendo rem indifferentem, adeoque &c. *(Sed caute in hoc procedendum.)*

Adest tamen obligatio subeundi leve, & modicum 23 damnum in propriis bonis temporalibus ob evitandum scandalum pusillorum. *Communis* cum S. Thoma loc. cit. art. 8. & Sporer loc. cit. num. 32. Et ratio est, quia bonum spirituale proximi ordine charitatis praefertendum est bono temporali proprio, maxime si inde oritur solummodo leve, & modicum damnum, ut loquitur conclusio.

Ut aliquis peccet peccato scandali, non requiritur, 24 quod

quod alter de facto peccet; sed sufficit, si credatur probabiliter peccaturus: Unde potest esse scandalum activum sine passivo, sicuti è contra potest esse scandalum passivum sine activo, ut de facto fuit in Pharisaeis, qui se scandalizarunt ex sanctissimis Christi verbis, & miraculosissimis ejus factis undequaque incapacibus active scandalizandi.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquitur; Textu expresso in cap. Qui scandalizaverit 3. de Regul. Juris, in ejus Summario sic habetur: *Propter scandalum evitandum veritas non est omissenda.* *(Recognosce leg. 50. §. 1. & 53. tit. 5. part. 1. quarum omnia si recte perpendantur, fere cum expositis conveniunt.)*

SCANDALOSA PROPOSITIO. *Vide verb. Propositiones damnatae, num. 55.*

SCHISMA, SCHISMATICE

SUMMARIUM.

- 1 Schisma generice, & large sumptum quod significat.
- 2 Schisma multipliciter contingere potest, & accipi tam in bonam, quam in malam partem, & assignatur.
- 3 Schisma simpliciter prolatum in malam partem usurpatur.
- 4 Schisma in malam partem usurpatum definitur.
- 5 Schisma sic definitur dividitur in purum, & mixtum.
- 6 Schisma purum quid sit.
- 7 Schisma mixtum quid sit.
- 8 Ordinarie, & practice loquendo vix unquam nostris hinc diebus datur amplius Schisma purum.
- 9 Non omnis recessus, seu separatio à Papa, est schisma, sed solum recessus, & separatio ab ipso tantquam à Vicario Christi in terris, & Capite formaliter Ecclesiae Catholicae; Et sic aliter à Papa recedens non est proprie schismaticus.
- 10 Item proprie schismaticus non est, qui se à quolibet alio Episcopo, etiam quia talis est, separat, eique obedire detrahit. Vel se à solis membris alicujus particularis diocesis, & Ecclesiae disjungit.
- 11 Schisma proprie dictum, & purum, in quo differat ab haeresi.
- 12 Schisma, & haeresis differunt inter se, sicut genus, & species; & sic omnis haereticus est etiam schismaticus, sed non e contra.
- 13 Schisma est error voluntatis, & non intellectus, ut est haeresis.
- 14 Prima poena, cui subjacent schismatici proprie dicti, & puri, est excommunicatio.
- 15 Secunda poena est privatio jurisdictionis ecclesiasticae, & consequenter nullitas Actuum.
- 16 Schismatici tamen valide ordinant, quomodo ordinati ab ipsis sint suspensi.
- 17 Tertia poena est inhabilitas ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas, & praesertim episcopalem.
- 18 Non privantur tamen schismatici beneficiis prius ante schisma vite obtentis.
- 19 Quarta poena est consecratio omnium bonorum.
- 20 Quinta poena est ultimum etiam supplicium durante eorum contumacia.
- 21 Schismatici mixti, seu habentes adjunctam haeresim, quales hinc temporibus sunt fere omnes schismatici, subjacent omnibus poenis, quibus subjacent haeretici.
- 22 Si tempore schismatis sint duo vel plures Pontifices, & unus sit Artus, ei soli est adhaerendum: Unde qui alter faceret, & alteri schismatico Pontifici, seu Antipapa adhaerent, essent & ipsi schismatici.

23 Inno in tali casu schismatico Pontifici, seu Antipapa adhaerentes, de favoria haeretici puniri debent.

24 Si tempore schismatis sint duo, vel plures Pontifices, & nesciatur quis sit vere legitimus Papa, tunc nulli est adhaerendum, donec ecclesiae praesens sit de certo Pontifice. Et interim recte, & rite quisque se gereret, adhaerendo vni Episcopo, & Parochis cum animo parato adhaerendi illi, quem ecclesia Christi ut verum Papam receperit.

25 Quomodo tamen alii censent posse pro tunc licite se delere sequi, quem maluerint; dummodo parati sint sequi illum, quem Concilium Generale, seu ecclesia Christi ut verum Papam habuerit.

26 Tempore schismatis, si commercia civilia sine scandalo tolli nequeant, permittendum est, quod catholici cum schismaticis communicent.

27 Subsuntur supplementa Auctoris, ad num. 35.

28 Additiones inseruntur, ad num. 37.

SCHISMA generice, & large sumptum est nomen Graecum scissuram, & divisionem seu disruptionem communionis significans, cap. Schisma 34. caus. 24. q. 1. ibi: *Schisma siquidem ipsum, quod Graecum nomen est, scissuram sonat.*

Schisma multipliciter contingere potest, & accipi tam in bonam, quam in malam partem. In bonam partem accipi potest, ut Joann. cap. 9. num. 16. ibi: *Schisma erat inter eos.* In malam autem partem, 1. Corinth. cap. 1. n. 10. ibi: *Et non sint in verbis schismata.* Schisma vero simpliciter prolatum in malam partem usurpatur. Et Schisma in malam partem usurpatum sic definitur: *Schisma est subtractio ab obedientia Capitis Ecclesiae formaliter sumpti, vel ab unione universalis Ecclesiae. Est in re Communis.*

Schisma sic definitur dividitur in purum, & mixtum, seu conjunctum cum haeresi; *Communis.* Schisma purum est malitiosus recessus à vera Ecclesia, quoad obedientiam solum, & fit, & est cum quis omnes fidei articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem, & primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia recusat subesse, & obedire summo Pontifici formaliter sumpto qua tali, seu qua Capiti, & Christi in terris Vicario Ecclesiae universalis, vel ceteris dicitur universalis Ecclesiae membris uniri, aut unitis, & conjunctis esse detrahet. Sic schisma fit & est, cum aliquis principatus, seu aliquid regnum negans obedientiam summo Pontifici tamquam Capiti universalis Ecclesiae, constituit sibi proprium Patriarcham, aut Episcopum, eique in spiritualibus obedit, spreto, seu negleto, & non attendis Papae mandatis, licet de cetero papatum, & articulos fidei credat, & hujusmodi principatus, & regni princeps, Rex, & Incola in tali casu sunt puri, & proprie dicti schismatici. Sic in re Doctores communiter.

Schisma mixtum, seu conjunctum cum haeresi, est malitiosus recessus à vera Ecclesia quoad obedientiam pariter, & credentiam, non quoad omnes articulos, (quia tunc esset apostasia) sed in quoad unam, aut plures veritates catholicas ab Ecclesia definitas, & propositas. Et fit, & est, cum quis praeter separationem ab unitate verae Ecclesiae, negat unam, vel plures propositiones ab ipsa Ecclesia definitas, & propositas, verb. grat. negat Romanum Pontificem esse in terris Vicarium Christi, & Caput Ecclesiae, negat sanctorum Communionem, auriculari confessionem, & hujusmodi. Hic in tali casu est schismaticus mixtus, quamvis alios fidei articulos credat, & approbet. *Sic in re Communis Doctores.*

Advertendum tamen hic est, quod ordinarie, & practice loquendo vix unquam nostris hinc diebus datur amplius schisma purum, sine haeresi; Quamvis enim in suo principio schisma non habeat perversum fidei dogma, sicut haeresis; tamen in fine nullum schisma est sine haeresi, ut ex verbis sancti Hieronymi recte notatur in cap. Inter Haeresim 26. caus. 24. quast. 4. ibi: *Gg a*

Inter hæresim, & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis peruersum dogma habeat, schisma propter episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet. Quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest: ceterum nullum schisma non aliquam sibi constringit hæresim, ut recte ab Ecclesia recessisse videatur.

Item est hic pariter advertendum, quod non omnis recessus, seu separatio à Papa est schisma, sed solum recessus, & separatio ab ipso tamquam à Vicario Christi in terris, & Capite formaliter totius Ecclesie: Unde schismaticus non est, qui Romanum Pontificem tamquam Vicarium Christi in terris, & Caput formaliter Ecclesie recognoscit, eique qua formaliter Pontifici obedientiam præstat; sed non vult illum recognoscere tamquam temporalem dominum alicujus provincie, civitatis, & hujusmodi, eique obedientiam denegat, dum jubet ut arma deponat, bellum contra ipsum non gerat, & hujusmodi: Similes enim inobedientie, & recessus adhuc bene compatiuntur cum debita recognitione, & obedientia erga eundem tamquam Vicarium Christi in terris, & Caput formaliter totius Ecclesie Catholicæ, nec separant à vera Ecclesia, quatenus est corpus mysticum. Sic Communis.

Item proprie schismaticus non est, qui se à quolibet alio Episcopo, etiam qua talis est, separat, eique obedire detrectat, vel se à solis membris alicujus particularis diocesis, & ecclesie disjungit. Schisma enim proprie dictum importat separationem, & recessum ab Ecclesia universali, & ejus formaliter Capite, non autem solam separationem, & recessum ab aliqua Ecclesia, & diocesi particulari, & ejus Diocesano, seu Episcopo: Quamvis tamen talis separatio, & recessus possit dici aliquo modo schisma large, & improprie. Communis, arg. cap. Scire 7. caus. 2. quest. 1. cap. Loquitur 18. caus. 24. quest. 1.

Schisma proprie dictum, & acurum differt ab hæresi in hoc, quia hæresis per se, & directe opponitur fidei negando, seu non concedendo unum, aut plures fidei articulos; schisma vero opponitur charitati, Ecclesie unitatem, quæ in charitate consistit, scindendo. Communis cum S. Thom. 2. 2. q. 39. art. 1. Reiff. lib. 5. Decret. tit. 8. n. 7. Pirhing. lib. 2. Unde schisma, & hæresis differunt inter se sicut genus, & species, ut docet Glossa communiter recepta in cit. cap. Inter Hæresim 26. edus. 24. quest. 3. verb. Et Schisma. Nam omnis hæreticus est etiam schismaticus, quia eo ipso, quod quis falsum dogma, & Ecclesie doctrinam, & definitioni contrariam credit, ut hæreticus, est etiam schismaticus, quatenus ab Ecclesia unitate recedit, & se separat, erroneam, & ei contrariam doctrinam sectando. Non tamen omnis schismaticus est etiam hæreticus, quia potest quis omnes articulos fidei ab Ecclesia definitos, & propositos credere, & credendo etiam Romanum Pontificem esse verum, & unicum universalem Ecclesie Caput, sed ex malitia, seu prava voluntate nolle ipso facto eum pro Capite Ecclesie recognoscere, eique obedire, nec aliis membris Ecclesie uniri, seu conjungi. (Lir. B. pag. 149. in noviss.)

Hinc constat, schisma esse errorem voluntatis, & non intellectus, ut est hæresis; schismaticus enim constituitur per contemptum, contumaciam, & inobedientiam, qui actus sunt voluntatis. Ursaya Institut. crim. lib. 1. tit. 7. num. 4. & alii passim.

Schismatici proprie dicti, seu puri, & nullam conjunctionem habentes hæresim, pluribus subjacent penis. Prima talium schismaticorum pena est excommunicatio major. Colligitur ex cap. Nulli fas 5. dist. 19. cap. De Liguribus 43. caus. 23. quest. 5. Et expresse habetur in Bulla Cene §. 1. ibi: Excommunicamus schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt.

Secunda pena est privatio jurisdictionis ecclesiasticæ: Unde omnes collationes beneficiorum, alienationes rerum ecclesiasticarum, sententiæ censurarum, absolutiones etc. à schismaticis factæ ipso jure sunt irritæ, cap. Novitiani 6. caus. 7. quest. 1. cap. Didici-

mus 31. caus. 24. quest. 2. ibi: Didicimus schismaticos nil habere juris, & potestatis, & expresse cap. Quod à Prædecessore 1. de schismaticis, in cuius Summario sic dicitur: Irrita sunt ordinationes, beneficiorum collationes, & ecclesiasticarum rerum, alienationes per schismaticos factæ.

Quoad Ordinationem autem citat. cap. Quod à Prædecessore 1. de schismaticis, & cap. Ordinationes 5. caus. 9. quest. 1. ubi disponitur, quod si factæ fuerint à schismaticis, sint nullæ, & irritæ, debet sic intelligi, nempe quod accipiens Ordines à schismatico sit suspensus ipso facto ab executione eorum: Ordines tamen recepti valeant, & characterem imprimant. Sic Communis Doctorum cum Glossa in cit. cap. Quod à Prædecessore, verb. Irritas.

Tertia pena est inhabilitas ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas, & præsertim episcopalem, cap. Quia diligentia 5. de electione, & cap. Ad succidendos unia. de schismaticis in 6. Et quamvis in citat. cap. Ad succidendos... varii Doctores teneant, schismaticos privandos esse etiam beneficiis omnibus ante schisma obentis; quia tamen dicta Bonifacii VIII. constitutio citat. cap. Ad succidendos fuit revocata à Benedicto XI. Extrav. unic. de schismaticis inter Communem, sola excepta confiscatione bonorum ibidem statuta, ideo nos dicimus tales schismaticos non incurere penam privationis beneficiorum ante schisma rite obtentorum. Sic Garcias de beneficiis part. 11. cap. 10. num. 151. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 36. num. 16. Pirhing. lib. 5. Decret. tit. 8. num. 7. Reiffenstuel ib. num. 11. & alii.

Quarta pena est confiscatio omnium bonorum, citat. cap. Ad succidendos unia. de schismaticis in 6. cum aliis Juribus adductis à Card. de Albic. de Inconstant. in fide part. 1. cap. 10. num. 41.

Quinta pena est ultimum etiam supplicium durante eorum contumacia; cap. Non vos 22. & cap. de Liguribus 43. caus. 23. quest. 5. cum aliis apud Farinac. quest. 184. num. 51. & 52. Cardin. de Albic. loc. citat. num. 42.

Schismatici mixti, seu habentes adjungam hæresim, quales hisce temporibus sunt fere omnes schismatici, uti jam dictum est supra num. 8. subjacent omnibus penis, quibus subjacent hæretici; Unde vide verb. Hæreticus.

Si tempore schismatis sint duo, aut plures Pontifices, & unus sit certus, ei soli est ad hærendum; Unde quis aliter faceret, & aliter schismatico Pontifici, seu Antipapæ adhereret, essent & ipsi schismatici. Communissima. Immo in tali casu schismatico Pontifici, seu Antipapæ adherentes de fautoria hæretici puniri debent. Concil. Constantiens. sess. 12.

Si tempore schismatis sint duo, vel plures Pontifices, & nesciatur quis sit vere legitimus Papa, tunc nulli est ad hærendum, donec Ecclesie provisum sit de certo Pontifice, & interim recte & tute quisque se gereret adherendo suis Episcopis, & Parochis cum animo parato adherenti illi, quem Ecclesia Christi ut verum Papam receperit. Sic Communis Doctorum cum Suarez disp. 12. de schismate sect. 1. num. 1. Reiffenstuel lib. 5. Decret. tit. 8. num. 17. & seq. & Bassæo tom. 2. vers. Schisma, num. 5. ubi insuper citat Cajetanum, Silvestrum, & alios. Quamvis tamen Sayrus in thesauro lib. 3. cap. 1. num. 22. & alii censeant, quod quando duobus, vel pluribus de Pontificatu contendentibus, vere nescitur quis sit legitimus Pontifex, nec per Concilium Generale res adhuc sit terminata; & tunc tamen ipsi, quæ eorum sequaces à peccato excusentur, dummodo vero animo parati sint ipsi præteriti Pontifices ad determinationem Generalis Concilii à Papatu se abdicare, & ipsi eorumque sequaces illi statim adherere, quem Concilium Generale, seu Ecclesia Christi ut verum Papam habuerit.

Tempore schismatis, si commercia civilia sine scandalo tolli nequeant, permittendum est, quod Catholicum cum schismaticis communicent, Sic declarasse Sacram Congregationem de Propaganda Fide de anno 1666. referet ex Nicolio Ursaya Institut. crim. lib. 1. tit. 7. n. 24.

SCHISMATICA PROPOSITIO. Vide verb. Propositiones Damnatæ num. 29.

SCIENTIA CONFESSARIL. Vide verb. Confessarius art. 1. d. num. 48. ad 51.

SCRIPTURA SACRA.

SUMMARIUM.

- 1 Scriptura sacra unde dicatur Biblia.
- 2 Scriptura sacra quid sit.
- 3 Volumina scriptura sacra est aggregatum quoddam ex septuaginta duobus Canonicis libris particularibus, scilicet quadraginta quinque veteris Testamenti, & viginti septem novi Testamenti in unum codicem redactum.
- 4 Assignantur dicti septuaginta duo libri canonici.
- 5 Prædictus numerus librorum canonicorum sacre scriptura non est novus, sed antiquissimus in Ecclesia Catholica, & receptissimus.
- 6 Dicti Libri quare dicantur Canonici.
- 7 Libri spectantes ad testamentum veteris dividuntur in quatuor classes, scilicet in legales, historiales, sapientiales, & prophetales, & assignantur omnes.
- 8 Libri spectantes ad testamentum novum dividuntur & ipsi in quatuor classes, scilicet legales, historiales, sapientiales, & prophetales, & assignantur omnes.
- 9 Recollectio dictionum omnium librorum vocatur Testamentum veteris, & novum duplici ratione, quæ assignatur.
- 10 Cur unum ex ipsis vocetur testamentum veteris, & aliud Testamentum novum.
- 11 Omnes supradicti libri, tum veteris, tum novi Testamenti, sunt ab omnibus pro sacris, & canonicis, seu à Deo inspiratis habendi, & qui ipsos omnes ut tales non susceperit, aut aliquam virtutem in ipsis contentam negaverit, erit hæreticus.
- 12 Libri alii duo, scilicet tertius, & quartus Esdræ, non sunt ab Ecclesia recepti pro Canonicis, quorumvis sint magna auctoritas.
- 13 Et tanto minus habentur pro canonicis liber tertius, & quartus Machabeorum.
- 14 Item pro canonicis non habentur ab Ecclesia plura Evangelia, quæ sub nomine discipulorum Apostolorum circumferuntur conscripta, sicuti nec pro canonicis habentur varii alii libri, de quibus omnibus fit mentio in cap. Sancta Romana 3. dist. 15.
- 15 Ex libris sacris plures, & plures perierunt, & assignantur varii ex illis.
- 16 Prima editio sacre scriptura facta est hebraice quoad fere totum veteris Testamentum.
- 17 Quo vero ad fere totum Testamentum novum facta est græce.
- 18 Secunda editio sacre scriptura quoad totum Testamentum veteris est paraphrasis Chaldaica.
- 19 Paraphrasis in quo differat à Translatione, seu Versione, & quid sit.
- 20 Tertia editio sacre scriptura quoad totum Testamentum veteris fuit septuaginta Interpretum, & assignatur ubi, & quomodo ab ipsis facta fuerit, ad num. 23.
- 21 Supradictis versionibus græcis successerunt latine, Testamentum veteris ex hebræo, & Testamentum novum ex græco transferentes, & istæ versiones latine sunt innumera.
- 22 Ex omnibus autem latinis versionibus, & editionibus, sola vetus, & vulgata editio est vere authentica, & pro tali ab omnibus habenda.
- 23 Auctor hujus vulgata editionis quis fuerit.